



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 69. Populi Romani lætitia ob electionem Pontificis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](#)

mus, quibus a summo rejicimur Pontificio. Sæcul. XV.  
 Merita, quæ nos evehant, nulla scimus: hinc A.C. 1458.  
 delatum non amplecteremur honorem, nisi  
 vocantis judicium timeremus. Quod enim  
 duæ Collegii partes efficiunt, id profecto a  
 Spiritu Sancto est, cui non licet adversari.  
 Vocationi itaque obedimus divinæ: ac te  
 Nicæne, & reliquos, cum quibus sensisti, lau-  
 damus. Si conscientiæ judicium secuti, nos  
 tanquam insufficientes, non censuisti eligen-  
 dos, eritis omnes accepti nobis, qui vocatio-  
 nem nostram non isti, non illi attribuimus,  
 sed Deo, a quo omne datum optimum, & o-  
 mne donum perfectum. Denique positis  
 indumentis suis, albam induit tunicam,  
 juratisque quibusdam capitulis ante tres  
 dies in sacro Collegio editis, in altari col-  
 locatur, & rursus a cunctis Cardinalibus  
 honoratur, qui successivo ordine pedes  
 ejus, manus, genasque osculabantur.  
 Hoc facto confestim erupta fenestra, con-  
 fluenti populo denuntiatum est, Cardina-  
 lem Senensem in summum Pontificem  
 electum esse, eumque Pii II. nomen as-  
 sumpsisse.

### §. LXIX.

*Populi Romani lætitia ob electionem  
 Pontificis.*

Peracta electione, Æneæ Senensis Car-  
 dinalis famuli quantocius illius cel-  
 lulam, libros, ac ipsa etiam vasa argen-

M m 5 tea

**Sæcul. XV.** tea spoliabant. Longe major tamen erat  
**A. C. 1458.** vulgi petulantia ; primi enim , qui præ-  
fati Cardinalis cubile ingrediebantur, il-  
lius muros non modo dejiciebant, sed i-  
psa quoque marmora secum asportabant.  
Inde vero ad aliorum Cardinalium cel-  
lulas transibant, easque deprædati sunt,  
eoquod de nomine Pontificis non satis  
bene edocti essent. Eodem errore dece-  
pti diutius in cella Cardinalis Genuensis  
morati sunt, nomen illius cum Cardinalis  
Senensis nomine confundentes. Dum  
vero civitas de Æneæ Pontificatu cer-  
tior facta esset, communis omnium erat  
lætitia , ac per omnes vicos, & compita  
felix faustumque resonabat Senensis no-  
men ; Populus quoque, qui paulo ante  
armatus incedebat, vix comperta Picco-  
lominæ electione arma deposuit ; adeo-  
que mutata est Urbis Romanæ facies,  
ut illa, quæ paucis antea momentis Mar-  
tis civitas erat, e vestigio Pacis theatrum  
appareret. Ergebantur in omnibus urbis  
plateis adornatæ convivantium mensæ,  
ac in publicæ lætitiae signum festivi ignes  
accendebantur.

Demum Pontifex ad Ecclesiam S.Pe-  
tri defertur, ubi consenso summo Altari,  
subtus quod SS. Apostolorum corpora  
quiescunt, in præparato folio confedit,  
primum a Cardinalibus, demum ab Epis-  
copis, ac tandem adoratus a toto populo,  
qui

qui turmatim ad pedum oscula conflue- Sæcul. XV.  
A.C. 1458.  
bat. Ea nocte omnes fenestræ lucernis,  
& turrium excelsa facibus resplendebant;  
ubique jubilantium audiebatur conclama-  
tio, cum urbs quaquaversum diversissimis  
vocibus reboaret, & consonus, suavisque  
tympanorum ac buccinarum clangor re-  
percusso, eoque multipli sono in cunctis  
plateis resonaret. Denique tam insolita  
cernebantur publicæ lætitiae argumen-  
ta, ut his magis festiva, magisque  
splendida etiam nonagenariorum senum  
memoriam superarent. Præterea primæ  
Nobilitatis Romanae Viri albis equis ve-  
cti, cum dies ad occasum inclinaret, ac-  
censis facibus ad Palatium accedebant,  
neo-electum Pontificem salutaturi; ho-  
rum tam frequens erat copia, ut primis  
jamjam Eccleiam S.Petri pertranseunti-  
bus, potissimi eorum adhucdum in castro  
S. Angeli, unde exibant, hærerent. Tan-  
ta lætitia, cum intra Romanæ urbis am-  
bitum sese continere haud posset, ad ce-  
teras quoque Italiæ urbes sese extendit,  
præcipue vero ad Senensem, cuius inco-  
læ reliquos omnes magnificentia superare  
certabant, quantumvis præcipui hujus  
Reipublicæ Proceres neo-electo Pontifi-  
ci, dum urbis hujus Episcopus & Cardi-  
nalis erat, parum propensi fuissent.

## §. LXX.